RADULFUS FLAVIACENSIS

Anfang 13. Jh. Seite 67r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36538
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



militiam. Unde ille magnus Christi amator hoc spiritus
igne absortus dicebat. Mihi vivere Christus est et mori lucrum.
Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus. Adi-
pes vero pacificorum non tantum ipsas hostias paci-
ficas vorat ignis iste: cum mentes religi-
osorum secularium in affectum divine dilectionis
accendit, non tantum ea integritate ut a mundanis
negociis prorsus alienare et spiritualibus studi-
is velit occupare. Cum autem religio divina
tam in prelatis quam in subditis floret, hec est di-
vina gloria quam videntes homines non possunt non glori-
ficare et laudare tanti muneris auctorem.
Inde enim per prophetam scriptum est: Operuit celos
gloria eius et laudis eius plena est terra. Celos quippe
gloria dei operit cum predicatores sancte ecclesie
spiritus sancti gratia illustrati miraculis choruscant
et celesti sapientia pleni doctrina sua terram
inebriant, angelicam inter homines conversationem
agentes. Ad huius glorie contemplationem terra illius laudibus
repletur quia homines terrena adhuc sapientes
qui ad eius maiestatem contemplandam levare
oculos non possunt, dum vident homines dei presentia
glorificatos, inhabitatorem ipsorum benedicunt
deum. Nec pretereundum quod iam a patribus antea notatum est:
aliud esse cum quis in faciem, aliud vero cum retro
cadere dicitur. In faciem namque cadit qui sponte
sua se deicit. Ibi enim cadit ubi videt qui
peccatorum suorum memores aut magnitu-
dinem miraculi divinam scientes et volentes
coram deo sese abiciunt. Retro autem cadere est in-
providum et inopinantem ad eternam mortem
descendere. Retro enim nobis est quod ab oculis nostris
a visu nobis absconditum est. Hinc est quod de domini per-
secutoribus dicitur: abierunt retrorsum et ceciderunt
in terram. Et iterum: Fiat dan coluber in via, ceras-
tes in semita, mordens ungulas equi ut cadat
ascensor eius retro. Hic autem quod cum vidisset
turba, laudaverunt dominum ruentes in facies su-

## De morte filiorum aaron

as. Hactenus
in sacerdotii veteris cerimoniis nova
sanctitas et excellentia adumbrata est. Sed quia illa
umbra erat non veritas et superveniente die in-
clinari habebat, occasus illius in morte fi-
liorum aaron expressus est. Quia enim ut ait apostolus
per sacerdotium leviticum consummatio non erat, ne-
cesse fuit secundum ordinem melchisedech
alium surgere sacerdotem. Veteris itaque illius sacerdo-
tii quod antiquatum est et senuit, morientibus
sacerdotibus et divino igne absumptis futurus
designabatur interitus. Quod vero magis appare-
at filios quoque heli ad memoriam revocemus,
quorum obitus manifeste utique illius ritus mu-
tandi et sacerdotii transferendi figura fuit, di-
cente domino ad heli: Loquens locutus sum ut do-
mus tua et domus patris tui ministret in con-
spectu meo usque in sempiternum. Nunc autem dicit
dominus: Absit hoc a me, sed quicumque glorificaverit
me glorificabo eum. Qui autem contempnunt me
erunt ignobiles. Ecce dies veniunt et pre-
cidam brachium tuum et brachium domus patris
tui, ut non sit senex in domo tua. Hoc autem
erit tibi signum quod venturum est duobus filiis
tuis ofni et finees. In die una morien-
tur ambo. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem
qui iuxta cor meum et animam meam faciat.
Iratus dominus contra hely nequitiam principaliter
filiorum morte multandum eum testatur sed
stirpis sue reprobatione et honoris priva-
tione pontificalis. Filiorum vero interitum non sum-
ma divine ultionis sed signum potius future
calamitatis esse predixit. In ysaia quoque per ex-
pulsionem et mortem pontificis idem ex-
pressum est. Ingredere ait dominus ad eum qui habitat
in tabernaculo ad sobnam prepositum templi et
dices ad eum: Quid tu hic, aut quasi quis hic?
Quia excidisti tibi hic sepulchrum. Existima-
bat enim se usque ad mortem in loco perseve-
raturum. Ecce dominus inquit exportari te
faciet sicut asportatur gallus gallinaceus. Gal-
lus est utique qui bene preest in templo dei. Qui [illegible]